



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CIV. De Detractione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

terdicere administrationem hereditatis. Theſaur. de Pen. Eccleſ. part. 2. Verb. Teſtamen-
ta cap. 1.

21. *Quer.* An Episcopus habeat eandem facultatem circa legata non pia? *Resp.* Habere, dummodo non sit præventus a Iudice Laico, quia circa legata profana compulſio hæredum, seu executorum testamentariorum est mixti fori. Abb. in cap. Si hæredes, num. 7. & in cap. Cum eſſes, n. 33. de Teſtam. Theſaur. d. cap. 1. num. 3. Et cum his finem ponamus ſeptimo Præcepto, in quo actum est de rebus proximorum; & ad octavum tranſeamus, famam proximi concernens.

CAPUT CIII.

De Octavo Præcepto.

1. *Quer.* Quæ ſint peccata præcipua, quibus hoc Præceptum octavum violatur? *Resp.* Eſſe ſex: Detractionem, Contumeliam, Deriſionem, Suſurationem, Iudicium temerarium, & Libellus famoſus.

CAPUT CIV.

De Detractione.

1. *Quer.* Quid ſit Detractio? *Resp.* Eſt occulta, & inſta denigratio, ſeu laſioſaſama proprie, vel alienæ. Et dicitur occulta ad differentiam contumeliæ, quæ ſit in faciem ejus, cui detrahitur honor, ut ſi quis appellat Titium furem eo audiente; tunc enim contumeliam in eum committit. Si verò eo abſente, detractionem facit. Bonacin. tom. 2. de reſtit. in genere, diſp. 2. quaſt. 4. punct. 1. num. 1. & 2. Ubi notat, diſſerre detractionem, & contumeliam, ſicut Furtum, & Rapinam.

2. *Quer.* An detractor ſit, qui peccatum proximi revelat Superiori, ut illum puniat, vel de eo loquitur cum perſona habente notiſiam ejusdem peccati? *Resp.* Negative, quia hæc locutio non eſt inſta, neque cum laſione. Bonac. ubi ſupra num. 3.

3. *Quer.* Quid ſit fama, & honor? *Resp.* Fama eſt bona opinio de aliquo circa ejus aliquod bonum. Honor verò eſt actus exterior, quo quis verbis, vel factis teſtatur bonam opinionem, quam habet de alicujus excellentia. Reginald. lib. 10. num. 83.

4. *Quer.* Quotuplex ſit detractio? *Resp.* Eſt duplex, formalis, & materialis. Prima eſt, quæ ſit animo auferendi famam proximo. Secunda, quæ ſit abſque diſta intentione. Utraque tamen eſt peccatum mortale, quando eſt graviter læſiva, & committitur cum advertentia. Bonacin. ubi ſupra num. 5.

5. *Quer.* Quot modis committatur Detractio? *Resp.* Octo modis; quorum quatuor dicuntur directi; & quatuor indirecti, & his verbis continentur:

Imponens, Augens, Manifſtans, in mala vertens.

Qui negat, aut minuit: reticet, laudatve remiſſe.

Imponens. Cum imputatur alicui crimen falſum.

Augens. Cum amplificatur crimen alicujus verum.

Maniſtans. Cum crimen occultum, quamvis verum, revelatur.

In mala vertens. Cum quod bona intentione ab aliquo ſit, interpretatur in malam partem. His modis directè auferitur proximi fama, Indirectè verò,

Qui negat; Id eſt, negando rectè facta, & bona alterius.

Aut minuit; Id eſt, diminuendo laudes, & opera bona.

Reticet. Cum non vult loqui ſuper bonis operibus proximi ſui; & talis reticentia accipitur pro tacita vituperatione, & opprobrio.

Laudatve remiſſe. Quando ita frigide laudat, ut potiùs ab audientibus formetur contra laudatum opinio ſiniſtra. S. Thom. 2. 2. q. 73. art. 1. ad tertium.

6. *Quer.* Quando detractio poſſit excuſari à peccato mortali? *Resp.* Quando defectus maniſeſtatus eſt levis, vel maniſeſtatio facta fuit ex inadvertentia. Bonacin. d. diſp. 2. quaſt. 4. punct. 1. de reſtit. in genere num. 7.

7. *Quer.* An in detractioſe concurrent circumſtantia mutantes ſpeciem, & neceſſario exprimendæ in Confeſſione? *Resp.* Affirmative. Nempè detractio contra Sacerdotes, quæ habet circumſtantiam malitiæ oppoſita erga reverentiam. Vel contra patrem, quia eſt malitia contra pietatem; vel ex odio, quia eſt malitia odii. Cap. Sacerdotes, 6. qu. 1. Reginald. lib. 24. num. 72.

8. *Quer.* Quando reputetur defectus levis in detractioſe ad excuſandum detractorem à peccato mortali? *Resp.* Quoties non graviter lædit famam proximi. Ideo attendenda eſt qualitas perſonæ, de qua quis locutus eſt; nam, qui de milite dixerit eſſe blaſphemum, non peccabit mortaliter, aut quoddam puellam deceperit. Non ita, ſi de probro viro, aut religioſo idem aſſeveraſſet. Bonacin. ubi ſupra punct. 2.

9. *Quer.* An ſit mortale peccatum detractioſe famam alicujus defuncti? *Resp.* Affirmative, & eſſe reſtituendam famam, vel revocando maledicta, vel ſatiſfaciendo damnis evenientibus illius familiæ, vel ſuffragia faciendo pro anima defuncti. Bonac. d. punct. 2. num. 3.

10. *Quer.* An ſit mortale peccatum detractioſe alicui per verba generalia; videlicet, aſſerendo, aliquem eſſe avarum, ſuperbum, ambitioſum, iracundum, ignarum? *Resp.* Negative per ſe loquendo, quia homines prudentes per hæc verba non formant opinionem de peccato mortali. Ceterum, ſi ille, à quo detrahitur, eſſet Prælatuſ, vel vir bonæ opinionis in morali vita, eſſet mortaliſ culpa: & talis cenſetur de quocunque, quando aſſeritur, eſſe aliquem mendacem, dummodo perſona non ſit

fit omnino vilis. Filliuccius tract. 32. cap. 9. qu. 2. num. 232.

11. *Quer.* An sit mortale peccatum, manifestare defectus naturales, videlicet, quod quis sit gibbosus, claudus, parvi iudicii, inflexibilis opinionis, nimix credulitatis &c.

Resp. Negative, nisi aliquod damnum infergeret illi personæ; ut privatio alicujus honoris, vel magna contristatio per eundem, audiendo hæc, assumeretur. Filliuc. tract. 40. cap. 4. qu. 6. num. 97.

12. *Quer.* An sit mortale peccatum, dicere in tali Claustro, seu Monasterio, Collegio, vel Universitate esse aliquos malos homines, seu Religiosos in genere? *Resp.* Esse hinc inde opinionem. Alii negant, si non resultet infamia totius Collegii, seu Monasterii. Alii affirmant, quia videtur impossibile, quod non denigretur fama eorum, qui degunt in eo Cœnobio. Bonacin. dict. punct. 3. num. 10. Ideo in praxi esse bene attendendam formalitatem verborum, opinionem, seu famam Collegii, & personarum ejus.

13. *Quer.* An, si quis revelet, aliquem esse spurium, bastardum, vel descendente a Judæis, seu Hæreticis, peccet mortaliter? *Resp.* Affirmative, si id occultum esset, & persona foret boni nominis, & opinionis, ex qua revelatione vel valde contristaretur; vel diminueretur ejus honor. Reginald. lib. 24. num. 79. & Lessius libr. 2. cap. 9. dub. 3. num. 15.

14. *Quer.* Si quis de gravi culpa sui proximi occulta loquatur cum duobus, vel tribus viris prudentibus, silentium servaturis, an peccet mortaliter? *Resp.* Negare Reginald. lib. 24. num. 75, quia censetur leve detrimentum famæ; quale est etiam, si quis in Confessione revelet complicem peccati. Affirmare Salon. 2. 2. quest. 73. art. 2. & hanc esse probabiliorē dicit Bonacin. de restit. in genere disp. 2. qu. 4. punct. 3. num. 2. qui punct. 4. advertit, Poenitentem non posse nominare complicem in confessione, quando ex hoc resultaret eidem gravis aliqua iactura; sed debere confiteri apud Confessarium, qui complicem non cognoscat, quando non posset bene confiteri, nisi eum nominando, vel tacere illud peccatum, donec apud alium Confessarium possit confiteri, dummodo habeat in præsentī necessitatem confitendi. Et de hoc videat Studiosus, quæ scripsi de Poenitentia decis. 23. num. 14.

15. *Quer.* An si quis receperit ab alio injuriam, vel injustitiam, peccet mortaliter, illam referendo, & discitendo amicis suis? *Resp.* Peccare, si animo detrahendi faciat. Non peccare; si, ut solatium, levamen, vel consilium reportet, dictam injustitiam referat. Bonac. ubi supra punct. 3. num. 3.

16. *Quer.* An mortalem culpam committat, qui scribit habitantibus Venetiis delictum publicum commissum Romæ? *Resp.* Ex magis communi opinione non committere, quia, qui perdidit famam Romæ, amisit jus ad famam retinendam alibi; & ideo historici absque culpa narrant, quæ commissæ sunt in partibus longinquis. Reginald. lib. 24. num. 85. Bonacin. plures allegans ubi supra d. 2.

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

qu. 4. punct. 6. ubi num. 7. subdit, quod si ex manifestatione, de qua in quæsito, quis perderet officium, vel beneficium, manifestans non teneretur ad restitutionem; nam non peccavit contra Justitiam, licet esse possit, ut peccet contra charitatem.

17. *Quer.* An ad sublevandum aliquem innocentem licitum sit manifestare delictum ab aliquo occulte, & clam perpetratum? *Resp.* Affirmative, quando alia meliori via non potest subveniri innocenti. Sotus lib. 5. de justit. quest. 7. art. 1. Bonacin. de restitutione in particulari disputat. 2. quest. 4. punct. 8. ubi subdit, licitum esse, si Medicus, vel Advocatus sit imperitus, commonere de hoc illos, qui ad eos recurrunt. Item posse defectus proximi manifestari illis, qui capiunt informationem pro contrahendo matrimonio, introducendo aliquem in collegium, vel ad dignitatem, vel ad suum famulatum; & quoviscumque ex taciturnitate periculum est, ut proximus incurrat aliquod damnum spirituale, vel temporale.

18. *Quer.* An mortaliter peccet, qui infamat seipsum? *Resp.* Esse hinc inde opinionēs. Negativam esse magis communem, quia quilibet est dominus suæ famæ, sicut & bonorum; & quemadmodum potest res prodigere, sic & famam. Dummodo tamen non inferatur præjudicium familiæ suæ, vel officio, aut dignitati, quibus fungitur. DD. apud Bonacin. ubi supra dict. quest. 4. punct. 10. sub num. 2. qui notat id fecisse plures Sanctos viros humilitatis causa, ut St. Augustinus in suis confessionibus.

19. *Quer.* An, qui sibi imposuit crimen falsum ad evitanda gravia tormenta, ex quo sibi mors sit inferenda, teneatur illud retractare? *Resp.* Negative, quia non est vita custodienda cum tanto cruciatu. Bonacin. ubi supra num. 7. Tolet. lib. 5. cap. 66.

20. *Quer.* An peccet filius, qui pro liberando Patre, vel amico à morte, imponit sibi delictum falsum cum periculo vitæ propriæ? *Resp.* Si Judex rite procedit contra patrem, vel amicum, peccare mortaliter, quia non debet impedire justitiam. Quod si injuste, vel non rite procederet, non peccaret; nam liceret hoc pacto eripere à morte patrem, vel amicum suum. Bonac. ubi supra num. 9.

21. *Quer.* An, ad effugienda tormenta gravia, liceat manifestare delictum secretum, quando quis promisit secretum servare? *Resp.* Licere, exceptis duobus casibus. Unus est, si illud esset secretum Confessionis. Alter, si in damnum publicum manifestatio resultaret. Sotus lib. 5. de just. quest. 10. art. 2. Ego ipse de Poenitentia decis. 49. per totam.

22. *Quer.* Quale peccatum committat, qui detractorem audit? *Resp.* Qui movet detractorem ad detrahendum, peccat mortaliter contra charitatem, quia est causa peccandi ipsi detractori: & contra justitiam, quia facit, ut auferat famam per detractionem proximi sui. Qui autem non movet ad detrahendum, sed solum delectatur gravi detractione, peccat mortaliter contra charitatem. Qui verò audit tantum ex curiositate, utpote-

T

rem

rem novam audiendo; ex hoc non videtur peccare mortaliter; nisi teneretur ad correctionem fraternam, quam omitendo, posset mortali culpa adstringere seipsum. Bonacin. plures allegans *De restit. tom. 2. dist. disp. 2. quest. 4. punct. 11.*

23. *Quer.* Quando non corrigens detrahentem, non committat mortale peccatum? *Resp.* Primò, quando commodè non potest corrigere. Secundò, quando grave damnum non provenit ex detractioe. Tertiò, quando non speratur fructus ex admonitione. Quartò, quando sibi timet aliquod grave damnum corrigendo; vel habeat magnam verecundiam; ut si audiens sit famulus, vel nullius auctoritatis. Quintò, quando detractio esset de re notoria. Bonacin. *ubi supra num. 6. 7. & 8.* ubi addit, audientem, qui corripere non potest detractorem, debere saltem discedere, aut sermonem interrompere, vel tristem vultum ostendere, juxta illud: *Ventus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentis. Prov. 25.*

24. *Quer.* Cum detractor teneatur ad restitutionem famæ, quando excusandus sit ab hac restitutione? *Resp.* Excusari. Primò, si infamatus vel famam non amisit, vel eam recuperavit. Secundò, quando detractio abiit in oblivionem. Tertiò, quando infamatus vel condonat, vel compensat, eò quia & ipse infamaverat suum detractorem. Quartò, si periculum vitæ immineret se retractanti de infamia; dummodò simile periculum non immineat infamato. Quintò, quando impossibile est, restituere famam ob notorietatem, quæ transivit ad omnes. DD. apud Bonac. *ubi supra punct. 12.* & Summa Diana verb. *Detractio num. 11. & 12.* Vide Carmina Lohneri relata à me *de Penitentia decis. 27. num. 28.*

25. *Quer.* An, qui non potest restituere famam verbis, teneatur eam compensare, seu resarcire pecuniis? *Resp.* Esse hinc inde opiniones, & affirmativam esse magis probabilem. Summa Diana *ibid. num. 12.*

26. *Quer.* Quomodo sit facienda restitutio famæ? *Resp.* Qui falsum crimen imposuit, tenetur declarare, se falsum dixisse. Qui verò verum delictum propalavit, quod erat occultum, tenetur laudare, & commendare eum, de quo locutus est; & etiam dicere, se non rectè de eo locutum fuisse. Bonacin. *ubi supra punct. 15. num. 4. & 5.* quo loci advertit, qui publicè famam abstulit, publicè restitutionem facere debere; & qui detraxit in uno genere virtutis, non posse satisfacere laudando infamatum de alio genere virtutis, quia nemo tenetur recipere aliud creditum pro credito suo. Turrian. *disp. 53. dub. 3. num. 4.*

27. *Quer.* An subsistat obligatio restituendæ famæ, quando detractor restituere eam non potest, nisi cum jactura suæ famæ? *Resp.* Non subsistere, quia justitia non obligat ad restitutionem cum tanta jactura. Bonacin. *ubi supra punct. ult. num. 12.*

28. *Quer.* An hæres detractiois teneatur ad restitutionem famæ; quam testator facere debebat, & non fecit? *Resp.* Non teneri, quia

est obligatio personalis. Navar. *cap. 18. num. 46.* Bonac. *ibid. num. 15.* Porro ad restitutionem damnorum teneretur, si ea resulfasset ex detractioe.

29. *Quer.* An mortuo infamato cesset obligatio restituendæ ejus famæ? *Resp.* Cessare, dummodo ex detractioe damnum non irreperferit in familiam, aut hæredes infamati. Bonacin. *ubi proxime num. 16.*

30. *Quer.* Qualia damna sint rescicienda per detractorem? *Resp.* Ea damna, quæ infamatus passus est vel ob impactioem criminis falsi, vel apertioem criminis veri, sed occulti. Et idè, si quis ex tali detractioe impeditus est consequi aliquod officium, vel beneficium, debet restitui ad arbitrium boni Viri, quantum valebat spes illius consecutionis; Quod si fuit privatus officio, vel beneficio, restitutio est facienda omnium damnorum juxta vires dicti officii vel beneficii; nam detractio est causa efficax illorum damnorum. Bonacin. *ibid. punct. 16. per tot. & pro conclusione hujus materiæ est menti tenendum, peccatum detractiois esse cæteris magis periculosum, & difficile pro absolutione rite, & rectè impendenda, ut demonstravi d. decis. 27. de Penitentia num. 28. & 29.*

31. *Quer.* An liceat occidere illum, quem cognoscimus velle detrudere nostræ famæ, & imponere nobis graves calumnias ad eas impediendas? *Resp.* Negativè, & asserere contrarium, est opinio 17. & 18. damnata ab Alexandro VII. Anno 1665.

32. *Quer.* An ad salvandum proprium honorem liceat imponere alteri falsum crimen? *Resp.* Negativè, est enim contraria opinio damnata ab Innocentio XI. num. 44. Anno 1679.

CAPUT CV.

De Contumelia, & Derisione, ac
Sufuratione.

1. *Quer.* Quid sit Contumelia? *Resp.* Est injuria, qua in præsentia alicujus probi viri eidem obijciuntur aliquod crimen, vel defectus. Bonacin. *de Restit. in particul. disp. 2. quest. 5. punct. 1. num. 2. tom. 2. pag. 529.*

2. *Quer.* An contumelia sit peccatum mortale? *Resp.* De suo genere esse mortale; sed ex levitate materiæ non excedere culpam venialem, prout etiam, si Superiores sint, vel Patres, qui subditos, vel filios reprehendendo, eos objurgant, & appellant duos, asinos, indignos &c. Bonac. *ubi supra num. 4.* ubi subdit, excusari posse à mortali convicia, quæ proferuntur à mulierculis, & ab hominibus infimæ fortis ad invicem contra seiplos, quia tales se parum lædunt in honore, cum nullus eis magnam existimationem præbeat.

3. *Quer.* An contumeliæ sint ejusdem speciei, & an sit aliqua circumstantia circa ipsas in confessione exprimenda? *Resp.* Communiter censerì ejusdem speciei, undè non sit necesse exprimere, an appellaverit aliquem adulterum, vel furem, vel ebrium. At si ille, qui contumelia afficitur, sit Pater, vel Mater, aut Superior, id debet exprimi; nam habet specialem malitiam oppositam pietati, &